

morti proximum oratione sua et socii, quem secum compulit ad orandum, de morte revocavit ad vitam.

§. 26. [fol. 62^b. Pal.]

Cum frater Johannes Theutonicus, qui post fuit magister ordinis*, pro succursu terre sancte predicaret crucem in Basilea¹ et inter ceteros civis quidam et canonicus quidam illius urbis crucem de manu ipsius accepissent², audito hoc uxor illius civis, que erat mater predicti canonici, turbata dixit: „tot demones accipiant³ eum, qui illi dedit crucem⁴, quot folia pendent in arbore⁵.“ Cuius imprecationis culpam statim secuta est pena. Nam illico facies eius intumuit et quasi leprosa facta est. Unde contrita valde vocavit fratrem predictum et ei confessa est. Qui cum imposuisset ei⁶ manum, statim sanata est. Quod videns filius eius, dictus canonicus⁷, ordinem⁸ nostrum intravit et crucem temporalem, quam acceperat, in perpetuam commutavit et postea gratus predicator et utilis prior in ordine fuit**. — Item cum pro eiusdem crucis predicatione indixisset⁹ idem frater Johannes suam stationem ad quendam latum campum, cum iam congregaretur populus, superveniens quidam nobilis, qui ibidem duellum indixerat¹⁰, cepit predicationem eius multipliciter impedire. Cumque¹¹ frequenter et humiliter rogatus a cepto desistere nollet, dictus frater dominum Jesum devote petiit, ut quod ipse non poterat, ille, qui est omnipotens, expediret. Mox dictus nobilis factus furiosus a suis cum luctu est delatus et, libere facta predicatione, ipse cum suis cruce signatus est, et orante pro eo fratre cum populo sanatus est plene¹².

Narravit frater, cui hoc accidit, quod, cum ipse per multos annos insomnietatem et capitis gravissimum dolorem sustinisset et exeso corpore et spiritum vix habente¹³ in infirmaria¹⁴ iaceret, contigit, fratres de predicatione reversos capita sua lavare in domo communi.

¹ Basilea, Pal. ² acceperunt de manu ip., Pal. ³ accipiunt, Vr. ⁴ qui-crucem fehlt in Pal. ⁵ in arb. pend. fol., Vr. ⁶ ei fehlt in Pal., ed. Vr. ⁷ fehlt in Vr. ⁸ statim ordinem, Pal. ⁹ induxisset, Pal. ¹⁰ induxerat, Pal. ¹¹ Cum, Vr. ¹² plene est sanatus, Vr. ¹³ habentem, Vr. spiritu habente, Pal. ¹⁴ infirmario, Pal.

* Da er 1241 erst magister ordinis wurde, so fand diese Begebenheit zwischen 1222—1241 statt.

** Nach Müllinen Helvetia sacra II. p. 15 hießen die fünf ersten Prioren in Basel: Heinrich von Westhofen, erster; N. N.; Heinrich von Marbach (1240?); N. N.; Achilles von Alschwiler fünfter Prior (zwischen 1215 und 1238 und 1257). Keiner der oben Genannten scheint der hier gemeinte Prior zu sein, denn die Namen von Westhofen, von Marbach, von Alschwiler scheinen keine Baseler Bürgernamen zu sein.

Quod ipse faciens, se¹ portari, cum multa devotione et lacrimis ait: „o deus omnipotens, honorum laborum pius remunerator, per servorum tuorum sudores, quos gratis oculis intueris², respice nunc ad me et fac laborum³ ipsorum participem et⁴ consortem.“ Hoc⁵ dicens, sordes loture secure capiti suo superfudit⁶ et statim non solum⁷ capitis, sed etiam totius corporis sanitatem recepit. Ita quod postea⁸ multis annis ad predicationes⁹ et conventuales labores fortis et sanus vixit.

[Hier fehlt in Pal. ein Blatt.]

Quinta pars.

Capitulum I. De beato Petro*.

§. 7. [fol. 68^a. Pal.]

Frater quidam Colonie conversus habuit strumam in gutture fere duobus annis adeo¹⁰ magnam, quod multum deformabat eum¹¹ et periculosa erat¹² iudicio plurimorum. Hic in tali periculo constitutus¹³ promisit beato Petro martiri, quod in singulis diebus diceret sibi¹⁴ unum: „pater noster“, si strumam illam evanescere faceret, et eum¹⁵ a tali periculo liberaret. Statimque emisso voto huius modi cepit struma illa detumescere et subito evanuit¹⁶. Omnesque fratres domus illius egerunt gratias deo et beato Petro, quia prefato fratri medicorum suffragia nichil prodesse potuerant nullotiens attemptata¹⁷.

Capitulum II. De felici obitu fratrum.

§. 2. [fol. 69^b. Pal.]

Scriptis beate memorie magister Yordanus¹⁸ in suo libello hoc modo: „cum intrasset Parisius ordinem frater Everardus¹⁹, archidiaconus Theutonicus²⁰, vir multarum virtutum, opere strenuus²¹, consilio providus, quanto fuerat magis notus in seculo, tanto plures assumpte paupertatis edificavit exemplo. Hic mecum in Lombardiam vadens, ut videret magistrum Dominicum, apud²² Lausannam infirmatus est, ubi quoque in epis-

¹ se faciens, Vr. ² cum me quem gratis oculis intuens, Pal. ³ et faciam te labrum, Pal. ⁴ etiam et, Pal. ⁵ Hec, Vr. ⁶ loture superfudit suo capiti et... statim, Pal. ⁷ plenam sanitatem, Vr., das Andere fehlt. ⁸ post, Pal. und Vr. ⁹ predicationis, Vr. ¹⁰ ardeo, Vr. ¹¹ cum, Vr. ¹² fehlt in Vr. ¹³ positus, Vr. ¹⁴ fehlt in Pal. ¹⁵ cum, Vr. ¹⁶ evanescit, Pal. ¹⁷ attemptata, Pal. ¹⁸ Jordanis, Vr. ¹⁹ Conradus, archidiaconus, Vr. ²⁰ Tutochonicus, Pal., Lingonensis, Vr. ²¹ serenus, Pal. ²² apud, Vr.

* Er starb 1252. Zum ersten Male fand ich denselben bei Berehrung der Glückigen vom Papste aus empfohlen in einer Bulle Alexanders IV. vom 28. Januar 1260.